

cium et iusticiam debiteque etiam satisfactionis complementum impendere et administrare modis omnibus debeatis et teneamini, Auctoritate nostra presentibus vobis in hac parte attributa et iusticia mediante, secus non facturi. Presentes vero ob absenciam maioris Sigilli nostri annullari secreto Sigillo nostro iussimus consignari. Datum Bude in Vigilia beati Thome Apostoli. Anno Domini Millesimo quingentesimo tredecimo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 121.

CLXXVII.

Anno 1514. die 30. Novembris. Budae.

Mandatum Vladislai Regis contra illos Regni Slavoniae incolas datum, qui neglectis iudicibus ordinariis Rescripta pontificia quaerunt, sicque regnicolas in causam coram aliis iudicibus attrahunt.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Reuerendo in Christo Patri Domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis, Thesaurario nostro ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, futurisque Banis vel eorum Vicebanis salutem et gratiam. Ex declaratione fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie accepimus non sine displicencia: Qualiter nonnulli forent tam Ecclesiastici, quam seculares in illo Regno nostro Sclauonie homines, qui scilicet in minutissimis rebus exquisitis quibusdam calumpniosis occasionibus nonnullos ex ipsis Regnicolis nostris prius causa in presencia Iudicis Ordinarii, provt fieri deberet, minime inchoata per modum conquestus seu Rescripti Apostolici per varias hinc inde citationes non solum intra ambitum huius Regni nostri, verum etiam extra Regna nostra ad dominia Venetorum in Jadrensem, Sibinicensem. Novensem civitates et alia loca Venetorum Dalmacie in causam attraherent, sicque attractos huiusmodi litibus et grauibz fatigis et expensis adeo turbarent et aggrauarent, quod ipsi Regnicole nostri in extremam deuenire cogerentur inopiam et paupertatem. Suplicarunt itaque Maiestati nostre iidem exponentes, vt eisdem de remedio dignaremur prouidere opportuno. Cum autem in generali Decreto seu Statuto locius huius Regni nostri manifeste inter cetera id contineatur: vt nullus